



DISSERTA
BOTANICA

A
47
415





BIBLIOTECA HISTÓRICA
GRANADA


Sala: A
Estante: 47
Folio: 415

X2
2 - 41

reales

A-58(043) HELL

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20



BIBLIOTECA HOSPITAL
GRANADA


Sala: A
Estante: 47
Rúbrica: 415

X 2

2 - 41

20 reales

A-58(043) HELL



OBSERVATIONES BOTANICÆ
CIRCA
**S Y S T E M A
VEGETABILIUM**


DIVI
A LINNE,
GOTTINGÆ 1784 EDITUM,

QUIBUS
ACCREDIT JUSTÆ IN MANES
LINNEANOS PIETATIS
SPECIMEN.

AUCTORE
ANDREA DAHL,
WESTGOTHIA - SVECO.

HAUNIÆ, 1787.

TYPIS AULÆ REGIÆ TYPOGRAPHI N. MÖLLERI
& FILII.



GENEROSSIIMO DOMINO
CLAUDIO ALSTRÖMER,
L. B.
CANCELLARIÆ REGIÆ CONSI-
LIARIO,
ORDINIS REGII WASÆI
COMMENDATORI,
NOBILISSIMO DOMINO
ABRAHAMO BAECK,
M. D.
ARCHIATRO,
REGII COLLEGII MEDICI PRÆSIDI,
ORDINIS DE STELLA POLARI
EQUITI,
Ut intimis LINNEORUM Amicis
SACRUM.

ОДИНАДЦАТЫЙ

ГЛАВА СЕМНАДЦАТАЯ

18

СЕМНАДЦАТЫЙ РАЗДЕЛ

СЛОВА

СЕМНАДЦАТЫЙ РАЗДЕЛ

СЕМНАДЦАТЫЙ РАЗДЕЛ

СЕМНАДЦАТЫЙ РАЗДЕЛ

СЕМНАДЦАТЫЙ РАЗДЕЛ

19

СЕМНАДЦАТЫЙ

СЕМНАДЦАТЫЙ РАЗДЕЛ

СЕМНАДЦАТЫЙ РАЗДЕЛ

СЕМНАДЦАТЫЙ

СЕМНАДЦАТЫЙ РАЗДЕЛ


СЕМНАДЦАТЫЙ



Dissertationem jussu Amplissimi *ORDINIS MEDICI CHILONIENSIS*
pro Grādu Doctoris editurus, diutius ani-
mo perpendi, cui materiæ hanc operam im-
penderem.

Placuit igitur præsens argumentum,
tam quod adfuerim, cum describerentur plan-
te in Supplemento introducetæ, quasque op-
time noverim, tam quod sæpius ad manus
habuerim egregias collectiones Botanicas,
quas possidet amicus noster æstimatissimus Ce-
leberrimus Professor & Eques Ordinis de Wa-
sa, Dominus Doctor CAROLUS PETRUS
THUNBERG, unde pernovi, D. Equitem

A plura




plura constituisse nova Plantarum Genera,
quæ Divi a LINNE in Supplemento ad Ge-
nera sua dudum cognita retulerant. Hinc
mihi persuaderor tantum me posse consulere
Orbi Botanico hisce observationibus, ut proxi-
ma editione Systematis Vegetabilium uno
saltim loco excludantur. Num erroris hu-
jusce solus accusandus sit Incliti Nominis la-
borisque indefessi Botanicus, Consiliarius Re-
gius aulicus & Eques Ordinis de Wasa, Do-
minus Professor JO. ANDR. MURRAY, non
facile dixerim, quum forte non viderit plan-
tas in Supplemento & Dissertationibus Equitis
THUNBERG descriptas. Etenim si quis
convictus erit ejusdem vel diversi Generis
esse plantas, requiritur, ut non solum legan-
tur characteres Specifici, chartæ impressi,
sed etiam ad manus sit ipsa herba, oculis ob-
via. Nec mirum, quod Eques THUN-
BERG absque Supplemento nondum edito,
singulas a se collectas plantas a novis sibi ig-
notis semper distinguere potuerit; audivi
enim, sagacissimum Naturæ Mystam Archia-
trum a LINNE plures agnovisse tales sui Sy-
stematis

stematis errores, quos, dum in vivis esset, dudum annotaverat, & si novæ Systematis editioni IPSI præesse licuerat, emendaturū. Non est fortis humanæ ab omnibus mendis sibi cavere; quare veritatem quærere & scientiæ, quantum fieri potest, lucem affundere unicuique incumbit.

Dum in consortio Immortalium Virorum a LINNE nova, ut videbatur, planta nobis obveniret, cuius esset ordinis naturalis, primum quæsivimus & illam cum Generibus hujus ordinis, habita ratione characterum essentialium, comparavimus; quo facto, si ad Genus quoddam ejus ordinis non pertineret, tum primum novum condidimus, quod quin fixum foret, dubium non fuit.

Si hoc modo in omnibus Generibus quisque versaretur, in primis cum Recentiorum Botanicorum scripta evolveret, plura certe se offerrent Genera, graves ob causas, ad prius determinata, necessario amandanda. Hanc semper secutus sum methodum, eam-



que pro lapide Lydio in novis Generibus condendis habeo. Hæc quoque fuit causa, et si multis invisa, cur Dni. a LINNE suis in scriptis non alia Naturæ producta civitate donarent, quam propriis usurpata oculis, ne convicti hujus veritatis, methodo dicta severissima observata, multiplicatione tam Generum quam Specierum in pristinum chaos scientia rueret. Recentiorum enim ille Multiplicandi Naturalia pruritus non aliunde oriri videtur, quam quod, quo plura nova Genera & Species quisquam invenerit, eo major inde Botanicus apud vulgum esse videatur.

Quod nudo respectu *Numeri partium* non fas nova formare Genera, certo certius constat ex pluribus plantis ejusdem Generis omnium consensu probati, ubi non nisi numerus variat, ut PORTLANDIÆ, TRIANGULÆ, COTYLEDONES. &c. Sic PHYTOLACCA, cuius quatuor sunt Species, si numeri sola ratio haberetur, quatuor diversa efficeret Genera, quod illegitimum esse

esse, quisque in Botanica vel minime versatus, videre potest. Quid? quod ex unica Specie novum fingeret Genus, qui novit numerum s^epe variare in una eademque Specie.

CALYX communis quemadmodum & Receptaculum essentialia sunt in Syngenesia, sed, qui extendunt utilitatem horum ad omnia distinguenda Genera, valde falluntur, quod ex Genere liquet PROTEAE, ubi omnes hæ partes multimode ludunt.

INVOLUCRUM. differentiam Generum ingredi non potest, valde enim dubitaverim, an pars sit Floris an potius herbæ & s^epius Bractea. Hujus suspicionis ansam dederunt *umbellatæ*; videre saltim nequeo, Calycem esse inferum, ubi corolla supera. In umbellatis vel Petala intra marginem seminum vel intra quinque denticulos posita sunt, qui genuinos calyces formant, adeo ut umbellatae absque involucro distingui & possint & debeant.



PETALA, sive plura sunt sive pauciora, aliis notis characteristicis non accedentibus, Genera distinguere non valent, quod ex pluribus generibus patet, ubi Species differunt numero Petalorum e. gr. CACTI. &c. quin immo abesse possunt a Specie quadam, quæ convenienter characteri Generico Petala producere deberet, ut a MESEMBRYANTHEMO apetalo cet. patet. Interdum eadem Species Petalis gaudet, interdum vero caret. e. gr. AMANNIA *Latifolia*. In FRAXINO *excelsiore* etiam observavi flores cum Petalis.

Nec omnis differentia *Fruetus* semper potestatem facit nova condendi Genera, ut CUCUBALUS *bacciferus* cum pluribus testatur.

Hæc sunt, quæ præfaminis loco mone re volui, specimen hoc cuiuslibet veri Botanici censuræ ea conditione subjiciens, ut si veritatem attingere mihi non ubique acciderit, dum errores, quos irrepsisse videat, bene-

benevole corrigat non *Crantziano*¹⁾ more perstringat; primus ero, qui observationibus modestis convictus emendem; *AMICUS* enim *Cato*, *Amicus Plato*, sed magis *amica Veritas*.


BOERHAAVIA.

Hoc Genus a VALERIANA rite distingui non potest. Sola differentia esset, quod corolla BOERHAAVIAE uniplicata, plica tamen saepius est oblitterata, huc accedit VALERIANAM *Chinensem* & BOEK-HAAVIAM scandentem adeo similes esse, ut vix nisi Staminum numero recte dignoscantur; in primis dum Genus VALERIANAE ita Staminibus variet, ut Species sint Monandrae, 2dræ, 3dræ, 4dræ & Hexandrae, ut & BOERHAAVIAE dentur tam Monandrae quam Diandræ, quare Species VALERIANAE ad BOERHAAVIAM amandandas existimo.

A 4

CINNA.

¹⁾ Henr. Joan. Niopem *Crantz*, in operibus suis omnibus.




CINNA.

Nullam aliam ob causam Gramen hoc distinctum constituit Genus, quam quod stamen modo unum habeat. Si vero solus staminum numerus Genera distingueret, multa hac ratione essent laceranda. Partes omnes fructificationis ipseque habitus AGROSTIDI convenient, ita, ut planta CINNAE rectius videatur AGROSTIDIS species esse. Per annos eam colui & in quibusdam floribus tria vidi, quamvis rarius, stamina.

PHILLYREA, OLEA & CHIONANTHUS.


Omnia hæc tria genera sub uno OLEAE genere comprehendenda fore arbitror. Natae distinctivæ OLEAM inter & CHIONANTHUM valde sunt insufficientes; quia calyx persistens & deciduus, laciniæ Corollæ breves, patentes vel longissimæ, erectæ, nux rugosa vel striata non Genera raro Species distinguere valent. PHILLYREA vero bacea monosperma solummodo differt; sed cum fructus hic commodius sub drupa quam baccis



baccis militari possit, ad OLEAM PHILLY.
REAE Species adnumeravimus, habitu quo-
que sic jubente.

NYCTANTHES *glaucia*.

JASMINI est species, nisi utrumque
Genus in unum redigendum, quod rectius
mihi videtur. Corollam 8fidam & 5fidam,
potius subdivisiones ejusdem Generis, quam
bina distincta Genera formare posse credi-
mus. Quod, nisi valeret, eadem ratione
COTYLEDON *laciniiata*, alia ut omittam,
Genus esset diversum. Quoad fieri potest,
limitibus justis circumscribendus est nume-
rus Generum, ne in pristinum chaos inci-
dat Scientia Botanica, Generibus non rite
fixis. NYCTANTHES *glaucia*, propter
Corollam 5fidam verum est JASMINUM,
deo ut totum Genus NYCTANTHES tan-
quam novum & superfluum merito exelu-
datur.



IRIS.

Nescio, qua ratione Dominus Eques & Consil. R. Aul. MURRAY falsum illum characterem Genericum huic Generi adposuerit. Unusquisque, qui vel minime in Botanicen introspexit, non potest non errorem observare. Apud IRIDES nostrates Europæas tubus corollæ pollicaris est, neque excludit existentiam tubi, quod sit farctus. Negari quidem non potest, corollam primo ad aspectu hexapetalam se præbere, perspecto autem tubo, monopetalam esse constat. Quod autem re ipsa sit tubus, tanto citius patet, quanto certius constat, laminas, flore marcescente, non separatim, sed totam Corollam ad Capsulam usque simul deciduas esse.

Quare etiam duæ distinctissimæ species confunduntur, charactere Specifico omnino pervertio, illo, quem designavit a LINNE, sublato. Hæc sunt *Florentina* atque *biflora*, utrasque per plures colui annos, invenique a LINNE characterem esse verum, qui inter alia indicat *Florentinam* habere cauem




iem foliis altiorem, *bifloram* foliis brevior-
rem; novus vero iste character ad nodum
est insufficiens; utraque enim vel subbiflora
est vel subtriflora.

Nullam præterea rationem video; qua
caulis in Scapum mutatur. Si caulis eo dis-
cernitur a Scapo, quod ille & folia & flores,
hic vero solum florem, elevet; qui vel ho-
spes est in Botanicis videre potest, hoc loco
non Scapum sed caulem agnoscit. Si hoc
modo in Terminis Scientiæ Technicis va-
cillare incipiamus; timendum est, ne Barba-
ries in Scientiam iterum irruat, in primis
cum eo ventum est, ut quisque Botanophi-
lus quasi spiritu quodam correptus, nova Ge-
nera novasque Species perpetuo condat.

MORAEA.

Character hujus plantæ Genericus non
secus ac IRIDIS fallus redditus est, corol-
la, quæ monopetala est, hexapetala nomi-
nata.

BLAE.



BLAERIA.

Ab ERICA male distinguitur unice propter stamina 4 & calycem 4 partitum, cum ERICA Stamina 8 & calycem 4 phyllum habeat. Hæ nota tanquam nullius momenti non respiciendæ sunt, in primis in Genere ERICÆ, ubi corolla & calyx multis variat modis. Verum quidem est, ERICAM genus esse vastissimum; convictus autem sum, melius esse pauciora genera fixa, quam plura vaga condere, modo subdivisionibus Species distinguantur, ne sint difficiles.

OTHERA & ORIXA.


Duo sunt genera, quorum tamen essentialem characterem videre non possum, illa qui distinguat. Neque enim Petala oblonga & ovata efficere possunt differentiam Generum, nec stigma capitatum & sessile. Quam ob causam, si hæc adsumentur, nihil impediat, quo minus sub uno comprehendantur generes, donec fructus cognitus sit. Si forsan pericarpium esset bacca, SKIMMIAE sunt adscribendæ, quod dudum factum esse debu-

debusistet, usque dum de Pericarpio certitudinem habuerimus. Genera, quæ non fixa sunt, pestiferam luem scientiæ semper adferunt.

TILLAEAE.

Perpaucas habet notas, quibus genus fiat diversum. Perianthium 4 partitum & 5 phyllum, notæ sunt adeo levidentes, ut genera distinguere non valeant. CRASSULA notæ omnes TILLAEAE characteristicae possidet, & quod magis est, nectarium CRASSULÆ in Capensibus TILLAEIS hinc uit animadvertere. Numerum partium in hoc Genere non esse attendendum, inde apparet, quod TILLAEA *muscosa* proprium tum constitueret Genus, ob numerum ternarium, quem in quibusdam TILLAEIS, numerum etiam observavi quinarium. Quas ob rationes totum TILLAEAE Genus merito excludendum putamus.

BRU.



BRUNIA radiata & glutinosa.

Ambæ hæ Species proprium constituere Genus debent, ad BRUNIAM nulla ratione referri possunt, quum Germen sit inferum, quæ quidem nota generibus distinguendis sufficit. Novum igitur Genus constitui, quod STAAVIA dicitur in honorem indefessi LINNEANI Discipuli, oeconomiae Directoris dignissimi, Dni. Martini STAAF, qui non modo omnem naturæ ambitum dexterime amplexus est, sed Species Naturalium Chinenses innumeræ Dominis a LINNE inspiciendas misit, cum is quoque ille est, qui Gothoburgi Scientiam amabilem fovet, sustentat, omnibusque commendat.

Character Generis Naturalis.

CAL. *Perianthium commune hæmisphæricum, foliolis plurimis imbricatis, linearibus. Proprium monophyllum 5 partitum, laciniis linearib[us] subulatis, erectis.*

COR. *Communis convexiuscula, propria pentapetala, petalis oblongis, obtusis, erecto-patentibus.*

STAM.

- STAM.** *Filamenta 5, subulata, basi perianthii inserta, Antheræ sub-rotundæ.*
- PIST.** *Germen inferum, turbinatum, Styli 2 coaliti. Stigma didymum.*
- PER.** *Nullum. Receptaculum commune, planum, paleaceum, vel pilosum.*
- SEM.** *solitaria, ovata.*

Character essentialis.

*Cor. 5 petala supera. Stam. calyci infer-
ta. Styli 2 coaliti.*

LOCUS.

In Systemate Sexuali PENTANDRIA. *Digynia* post GOMPHRENAM.

In ordine Naturali AGGREGATAE.

Species.

STAAVIA Radiata foliis linearibus trique-tris calyce radiante ²⁾ foliolis intimis coloratis.

Chry-

²⁾ *Calyx communis dicitur radians, cum foliola calycis superiora in modum Corolla floris compositi pateant.*



Chrysanthemum ericoides coronatum

Cap. Bon. Spei. Mor. Hist. 3. f. 6.

p. 21. t. 3. f. 43.

- - - *Breyn Cent* 165. f. 82.

- - *Pluk mant.* 47. t. 45. f. 7.

Phylica radiata Linn. Amoen. Acad.

4 p. 268. *

- - Spec. Plant. ed. 11. p. 283.

Brunia radiata Berg Cap. p. 58. *

- - - *Linn. Mant* p. 209.

- - - Syst. Veg ed. XIV. p. 240.

Deser.

Radix perennis, lignosa, ramosa.

Caulis fruticosus, pedalis, bipedalisve,
crassitie penae cygni, erectus,
teres, foliatus, a easu foliorum
cicatricatus, determinate ramosus,
(di seu trichotomus), ramis virga-
tis, pilosis.

Folia sparsa, approximata, erecto-pa-
tentia, petiolata, linearia, triquetra,
acuta, saturate viridia, apicibus
fuscis; juniora pilosa, pilis raris,
adultiora nuda, canaliculata, per-
sistens.

sistentia.

Fulcræ Petiolus linearis, brevis-
simus, erectus.

Pubes. Pili simplices.

Inflorescentia aggregata, terminalis,

CAL. *Perianthium commune magni-*
tudine Fructus Piperis, foliolis ob-
tusis, basi pilosis, exterioribus
brevioribus, rudibus, interioribus
albidis, longitudine disci, paten-
tibus, radium mentientibus.

COR. *communis fulsa, minime glu-*
tinosa.

PER. nullum. *Receptaculum pilosum.*

STAAVIA 2 *Glutinosa foliis linearibus tri-*
quebris, calyce radiante, foliolis omni-
bus coloratis.

Muscus clavatus Æthiopicus, arbore-
scens, foliis varie inflexis, semini-
bus Lithospermi Pluk. amalb.
p. 149. t. 431. f. 1.

*Brunia glutinosa Berg Cap. p. 57. **

“ “ Linn. Mant. II. p. 210 *

“ “ Syst. Veg. ed. XIV. p. 240.

*Descr.*

Radix perennis, lignosa, ramosa.

*Caulis fruticosus, pedalis bipedalisve,
crassitie pennae Cygni, erectus, te-
res, sulcatus, a casu foliorum ci-
catricatus, ramosissimus, ramis pro-
liferis, erectis, pilosis.*

*Folia sparsa, approximata, erecto-pa-
tentia, petiolata, linearia, trique-
tra, obtusa, saturate viridia, api-
cibus puncto calloso fusco, juni-
ora pilis raris saepe adspersa, adul-
tiora nuda, caniculata, persisten-
tia.*

*Fulcra Petiolus linearis, brevis-
simus, erectus.*

Pubes pili simplices.

Inflorescentia aggregata, terminalis.

CAL. *Periantum commune magnitu-
dine Pisi, foliolis basi biglandu-
losis, disco longioribus, albidis,
patentibus, radium mentientibus.*

COR. *communis fusca, valde glutinosa.*

PER. Nullum. *Receptaculum paleaceum.*

Obs. Differt a præcedenti, cui valde similiis.

- α.) caule proliferò.
- β.) foliolis Perianthii communis omnibus coloratis, disco longioribus.
- γ.) corolla communi glutinosa.
- δ.) Receptaculo paleaceo.

CALODENDRON.

Variat numero staminum, quæ raro sunt 4 plerumque, 5 sæpe 6. Nectario 5 phyllo a DICTAMNO differt; Qui character, si forte hoc Genus distinctum reddat, DICTAMNUS *Capensis* elimandus est, cum planta sit una eademque.

CAROXYLON.

Habitu & pluribus Fruitionis partibus affinis est SALSOLAE. SALSOLÆ character essentialis est semen spirale, quæ etiam



nota hoc in Genere exstat, ut non dubium sit, quin Species fiat SALSOLÆ. *Perianthium* illud diphyllum, quod CAROXYLO additur, potius nominaverim Bracteas, quibus cum plurimis SALSOLIS convenit: *Squamæ* 5 nectariferæ, pluribus SALSOLIS sunt, *Stylusque* simplex, quo minus distinguat, impedit, quod in SALSOLIS variet inter 1 – 5. Quo quidem videri potest, CAROXYLON distinctum Genus non constituere. Descripta igitur est planta eadem sub Genere SALSOLÆ nomine *aphyllæ*, loco certe genuino.

VAHLIA & RUSSELIA.

Utrumque Genus una eademque est Planta. Si D. Equ. & Conf. R. Aul. MURRAY vidisset Nova Genera Plantarum p. II. p. 36. Equitis Dni. THUNBERG, in hunc nunquam incidisset errorem, nam idem est character Generis VAHLIAE ac RUSSELIAE in supplemento. Præterea non mihi persuaderor assumi posse Genus ejusmodi charactere ac VAHLIA. *Flores calyculati*
Sparsi. Capsula. His enim non dignosci potest

potest a multis aliis Generibus, nec juste determinatur.

VAHLIA itaque hoc in loco excludatur; altamen cum nomina Generica a Botanico dicta, sancte servanda sunt, novum itaque genus imposui nomen VAHLIÆ in honorem amici nostri æstimatissimi, Botanici omnino solertissimi Domini Professoris Martini VAHL, Norvegico-Bergensis h. t. Flora Danicæ Editoris dignissimi.

VAHLIA.

Character naturalis.


CAL. *Periantium duplex*, persistens; *exterior monophyllus*, *lateralis*, *trilobus*, *lobo intermedio longiore*; *interior monophyllus*, *quinque-partitus*, *lanceinis lanceolatis*.

COR. *Petala 5*, *contra solem spiralia*, *Securiformia*³⁾, *erecta*, *calyce longiora*.

B 3

STAM.

³⁾ *Securiformis* dicitur figura oblonga, basi angustata, uno latere falcato, altero latiore, semicirculari.



STAM. *Filamenta circiter 16, ad medium connata. Antheræ oblongæ.*

PIST. *Germen subrotundum, 5 striatum, superum. Stylus nullus. Stigmata 5, oblonga, sessilia.*

PER. *Capsula subrotunda, umbilicata, 5 sulcata, 5 locularis, loculis monospermis.*

SEM. *solitaria, oblonga.*

Character essentialis.

Pentagyna. Cal. exterior monophylitus, lateralis. Petala 5, securiformia.

Caps. 5 locularis.

LOCUS.

In systemate MONODELPHAS inter & DODECANDRAS, post PENTAPETEN.

-- Ordine naturali inter COLUMNIFERAS.

Species.

VAHLIA i. *Tastuosa.*

Synonyma invenire non posui.

Ha-



Habitat in Insula Isle de France dicta.

Descr.

Radix perennis, lignosa.

Caulis arboreus, solidus, erectus, teres, nudus, ramosus; ramis sparsis patentibus, inferne nudis.

Folia ad apices ramorum sparsa, patentia, petiolata, cordata, acuminata, inæqualiter dentata, nuda, glabra, venosa, plana, decidua.

Fulcra.

Petiolus linearis, mediocris, infertus, patens, glaber.


Stipulæ nullæ.

Pedunculus communis, axillaris, solitarius, patens, teres, bracteatus, petiolo longior.
Bracteæ sparsæ, lanceolatae, caducæ.

Inflorescentia corymbosa.

LACHENALIA.

Eadem est Planta ac PHORMIUM *alooides*. PHORMIUM tam *Alooides* quam



Orchiodes habitu omnino sunt diversi & a charactere PHORMII tenacis distincti; sub genere itaque PHORMII excluduntur, & ad LACHENALIAM referuntur.

CRINUM *africanum*.

Hæc plantæ ad CRINUM pertinere non potest, cum Germen sit superum. Novum itaque Genus constitui & nominavi MAUHLIAM in honorem Nobilissimi D. Johannis MAUHLE, qui solus pecuniam mihi suppeditaverat ad servandum in Patria Museum Immortalium a LINNE, quod tamæa numerata licet eadem pecuniarum Summa, nescio quo fato exteris cessit. Præfuit laudatus Litterarum Patronus, plures per annos, apud Chinenses præsens, Svecorum ibidem longinquis commerciis, unde redux, diei non potest, quanto Fervore & Impetu Res Patriæ oeconomicas juvare & promovere conatur.

MAU-

MAUHLIA.

Character Naturalis.

CAL. *Spathæ* 2, oblongæ, acutæ.

COR. monopetala, infundibuliformis. *Tubus* limbo brevior, sensim ampliatus. *Limbus* 6 partitus, laciñiis oblongis, obtusis, planis, erectiusculis, æqualibus.

STAM. *Filamenta* 6, apice tubi inserta, laciñiis opposita, limbo breviora, filiformia. *Antheræ* incumbentes.


PIST. *Germen* superum. *Stylus* filiformis, longitudine Staminum. *Stigma* simplex, integrum.

PER. *Capsula* ovata, triquetra, trilocularis, trivalvis.

SEM. plura.

Character essentialis.

Corolla infera, limbo sexpartito, laciñiis æqualibus.



LOCUS.

In Systemate *Hexandristas* inter &
Monogynistas post PONTEDE-
RIAM.

In Ordine Naturali inter SPATHA-
CEAS.

*Species.*MAUHLIA I. *Africana.*

Hyacinthus africanus, tuberosus, flo-
re coeruleo umbellato, *Breyn.*
prodr. 1. p. 39.

- - - - - icon 23. f. 10.

- - *Comm. hort.* 2. p. 133. t. 67.

- - *Seb. thes.* p. 29. t. 19. f. 4.

*Hyacintho-affinis tuberosa radice, um-
bella coerulea inodora Herm.*

Lugd. p. 327.

- - *Pluk. Alm.* p. 187. t. 195. f. 1.

Polianthes floribus umbellatis. Linn.

Virid. Cliff. p. 29.

- - - - - *hort.* — p. 126.

- - - - - *Roy. Lugd. Bat.* p. 27.

- - - - - *Mill. dict.* t. 210.

Crinum

Crinum africanum. Linn. Spec. Pl. jed.

II. p. 420.

Syst. Veget.

ed. XIV. p. 319.

Habitat C. B. Spei, unde bulbos, benevolentia Amicorum Celeberrimorum D. Joh. DASSAW Mercatoris primarii (vulgo Supercharge) & Dni. Francisci Pauli HALBMEYER Chirurgi primarii ad societatem Mercaturæ Indicæ Orientalis, habui. Fl. ruit mihi Novembri mense anni 1784.

Descr.

Radix perennis, bulbosa, bulbo tunicato.

Folia radicalia plura, Scapo breviora, erecta, linearia, plana, (*Narcissi*) integrifolia, glabra, nervosa, carnosæ.

Scapus pedalis & ultra, crassitie digitim minoris, fistulosus, erectus, teres, glaber.

Inflorescentia. Umbella simplex, multiflora.

COR. coerulea.

CANA.



CANARINA.

Differet a CAMPANULA solo numero, qui cum in terra macra crescit, saepissime est quinarius, ideoque Genus excludendum. Specie quoque eadem est cum CAMPANULA *Canariensis*.


WURMBAEA.

Eadem est ac MELANTHIUM *monopetalum*, mihiique persuadeo illam non posse distinctum formare Genus. Corolla est quidem monopetala, sed facillime in 6 partes æquales separatur, quæ etiam respicienda non est, dum coeteræ partes fructificationis convenient.

ANDROMEDA.

Cum Genus hoc ab ERICA non aliter distingvatur, quam solo numero, excludendum & ad Genus ERICÆ reducendum esse videtur. ANDROMEDA *Dabæci* & *Droseoides* utræque octo habent stamina, quare ab ERICA forsitan separatae sunt ob foliationem

nem



nem in ANDROMEDIS alternam, quæ in ERICIS opposita, quod minime sufficit.

CHAMIRA.

Si hoc genus sit diversum, aut ad HELIOPHILAM, accedat, nulla certitudine dicere queo, cum copia non mihi fuerit flores ejus satis examinandi. Id saltim constat, quod eadem sit ac HELIOPHILA *circaeoides*. Innotuitque mihi, utraque exteriora Calycis foliola, in pluribus HELIOPHILIS, basi esse saccata, licet minus quam in CHAMIRA.

GALAXIA.

A Genere IXIAE distincta Stamini-
bus monadelphis & stigmate multipartito.
Hi characteres valde sunt insufficientes, &
crediderim melius esse cum a LINNE, in
Supplemento, eam ad IXIAM referre, ubi
GALAXIA *ovata* dicitur IXIA *Galaxia*,
& *graminifolia fugacissima*.



SISYRINCHIUM.


Situs staminum Monodelphus est, a Genere itaque MORAEAE nullo charactere diversum, Species itaque MORAEAE adscribendas esse patet.

RHODIOLA.

Habitus hujus Plantæ omnino SEDI est. Attamen in Systemate sexuali tum numero partium, tum & Classe, a SEDO separata. Quod non continuo sit Dioica, pluribus annis in herba viva, observavi, dum foeminea ab anno 1781 vel plures vel pauciores flores hermaphroditos habuerit. Stamina plerumque sunt octo, tamen non raro Flores tam masculinos quam hermaphroditos decandros & flores hermaphroditos & foemineos pentagynos vidi. Eo patet, hanc plantam proprium Genus non constituere, sed ad SEDUM esse reducendum.

VERATRUM.

MELANTHIO adeo simile est, ut distinguvi nequeat, quare VERATRI Species ad



ad MELANTHIUM pertinere debent, Capsulae trinæ MELANTHII connexæ, VERA-TRI e contrario separatae. Cum itaque nullæ præterea notæ distinguant, ad unum idemque Genus amendanda sunt.

VALANTIA.

A GALIO hoc Genus eo fuit distinctum, quod sit Polygamum. Sed secundum omnem rationem Genus hoc ideo evanescere debet, quod non sit naturale, hinc VALANTIAE Species ad GALIUM transferendas esse nullus dubitat. GALII flores hæc Polygami, quemadmodum alterum semen non raro abortit.

ATRIPLEX.

Species hujus sub CHENOPODIO militari possunt. Habitus & omnes partes fructificationis hanc meam demonstrant sententiam. Flores foeminei respectu Calycis differunt, hæc vero differentia, tanquam vilioris momenti, subdivisionibus Generis inferire potest.

Supr-




Supereft, Leſtores omnium ordinum Hu-
manissimi! ut LINNEORUM, integrum
per Iuſtrum Discipulus, manes Praecepto-
rum, Commentariis Lipsiensibus vol. XXV.
Part. I. p. 106 impie corroſos, integrati
reſtituere conetur.

Auctorem Crifeos nec *Scientiae* nec
Svecorum nec LINNEORUM fuſſe amicum,
judicium de Speciebus in Supplemento me-
moratis p. 106. lin. 18. ſqv. ita ſatis innuere
videtur, dum injurioſa hæc verba profert:
"Accepta, inquiens, erunt Botanicis præ-
ſertim iis, qui nibil perfecti vel certi eſſe
opinantur, niſi quod LINNEORUM no-
mine Sigillum veritatis certitudinisque
obtinuerit." Omnis veris Botanicis
Supplementum hoc acceptum fuſſe credo.
Quemadmodum enim ante ſeniorē a LIN-
NE nulli, ita nec hodie multis illa contigit
Felicitas, illa Gloria, ut adæquatos Rerum
naturalium Characteres investigare valuerunt,
quare

quare etiam Germanicorum facile Princeps
Botanicorum Nob. D. NIC. JAQVIN illos
in opusculis posterioribus tentare ausus, vix
ac ne vix quidem fuit. Id veritatis sigillum,
quo scientia, Meritis LINNEANIS, cre-
vit, in eo consistit, ut species omnes, quas
stus in scriptis adoptaverint, notis condeco-
rentur adeo distinctis, ut neque de Genere
neque de Specie ullum remaneat inventori
dubium, dum apud vulgum Neotericorum
omnia perpetuo confundantur.

Paulo postea Idem: "*Videndum, in-*
"*quit, quoad jugo Boreali hinc se submit-*
"*tent Botanici atque rerum Botanicarum*
"*& qui competentesque judices.*" Quod si
leges, quibus cautum iverit Botanicus Bore-
alis, ne quisque post hæc Genera & Species
Plantarum ad libitum fingere, rite constitu-
ta dirimere vel coacervare, sine crimine
possit, pro Jugo agnoscat fessus inde Criti-
cus; habet certe de quo queratur, cur Ephip-
pia optet, cur Jugum excutere Germanis
svadeat.



At Leges juste sanctas sancte observando Genera non nisi fixa adoptare, dubia indeterminata & omnino falsa exterminare. Plantis pro novis venditis vera nomina & Loca tribuere, nec ut male fieri solet, falso nomine bis vel ter in Systemate repeterem. *Hoc opus, hic Labor,* adeo ut Jugum dici non possit! Exempla sint, quæ in *Dissertatione superius attuli.*


Præterea Botanicos, quibus Germaniam eminere, p. 135. perhibet Criticus, cum in plurimas Scientiæ Leges non semel peccaverint, adeo "æquos competentesque Ju-dices" esse vix crediderim, ut cum Divis nostris a LINNE comparari semet ipsos se facile patientur. Patet hoc Scripta Germanorum cum LINNEANIS diligentius conferenti.

Dum Celeberrimus a LINNE in *Supplementi* præfamine se multa, præcipue ad characteres & differentias pertinentia in nova editione Systematis, emendaturum pollicetur, dubitat Criticus p. 107. lin. 12. & quidem his verbis. "At enim vero ni fal-limur



"limur hæc reservatio est illusio lectorum." Quam injusta fit hæc Reprehensio, monstrat *Supplementum*, monstrabunt aliquando plures ordines naturales. *Palmarum* puta *Liliaceorum*, *Graminum* &c. *Systema Mammalium*, opera plura dudum elaborata, in museo Dni. SMITH, hodie servata, unde colligere licet Dnum. a LINNE *Filium* promissa servaturum, si Deus longiorem vitam concederit. Qui pauca ARTEDII, HASSELQVISTII, LOEFLINGII, nostratum, opera posthumam noverit, num dubitare possit, quin adhuc vivi plura & excellentissima præstassent, immatura morte nunc deperdita. Nob. a LINNE junior morte impeditus *Systema Naturæ* non emendavit, Ergo Lectores elusit! Qualis conclusio? Quænam æquitas? Quæ erga Divos pietas?

Ad SCOPOLIAM ita pergit Criticus p. 114. Lin. 34. "At quarta hæc jam est planta, quæ per aliquid tempus hoc nomine Generico fuit insignita, vid. Com- ment. Lips. Vol. XXIV. p. 247. Quos- que tandem progredietur temeraria & ar-



"bitraria nominum Genericorum immunitatio? Ita ne a chao, in quod Botanice recidere videtur, reservabitur, an potius in illud præcipitetur?" Genera Plantarum quatuor diversa celeberrimo Domini SCOPOLI nomine fuisse insignata negari non potest. Notum vero est SCOPOLIAM Dni. JAQVIN verum esse HYSKYAMUM, SCOPOLIAM Dni. ADANSON veram RICOTIAM, SCOPOLIAM Dni. FORSTER Plantam esse propter deficientes characteres, non admittendam. Nomen igitur SCOPOLIAE necessario erat excludendum, donec novum innotuerit Genus SCOPOLINAE memoriae dignum. Talis est Planta, quæ in GYNANDRIA octandria occurrit quartum SCOPOLIA dicta, & de qua Divus a LINNE in Supplemento (p. 61.) In Memoriam, dicit Job. Antonii SCOPOLII, auctoris Floræ Carniolicae aliorumque operum, quæ omnia Botanicum diligentissimum & accuratis- sum demonstrant. Videatis Lectores,

quo

quo Jure perstringitur gratus nostri Botanici
corum in merita animus.

Num vero Nomina Specifica non uno,
sed pluribus Speciebus communia merito
sunt mutata? Qualia sunt AVENA Capensis,
EXACUM pedunculatum: & Sessile, AMAN-
NIA coccinea, CONVOLVULUS fruti-
cosus, CHENOPODIUM purpurascens,
TULBAGIA Capensis, GETHYLLIS a-
fra, WEINMANNIA pinnata, PLINIA
rubra, CROTALARIA capensis, ORO-
BUS Panonicus, & DISA uniflora ⁴⁾.

Ulterius: restat, inquit, plura incer-
ta, quæ jam ipse Editor clarissimus circa
plantas plures adnotavit, ut taceamus ea,

C 3 quæ

- 4) Vituperanda potius nō nomina vel sesquipedalia vel nauseosa, quæ criticus non recen-
ser, & quarum Specierum descriptiones à LINNEANIS characteribus ita recedunt,
ut nesciam, a quo sumta. Talia nomina
Specifica sunt, mnemoneia in EHRHAR-
TA, in CARICE vero Levcoglochin, Cbor-
dorrhiza, Heleonaster, Leprostachys, Drymeia,
agastachys, in LICHENE, Bæomyces &
Icmadophila, alia ut omittam.




quæ nobis talia videntur (pag. 134. l. 20.)
 Melius ex mea Sententia fecisset Criticus incerta illa adnotare, quam sine probatione observationes LINNEANAS Incertitudinis redarguere voluerit. Quodsi enim Criticus illas pro incertis habeat neminem esse, qui hoc curet, spondeo. Æternæ sunt veritates. Momo satisfaciet nullus.

Pag. 134. lin. 26. ita habet Criticus,
"Prius autem quam commentationi huic finem imponamus singularem Editoris methodum tangamus, qua aliorum virorum meritissimorum observata silentio transeat, quantumvis cum suis convenient, scilicet ideo ut videtur, ut Ipsius habantur inventa & observata. Quare enim alias ut hanc salutem nominemus SCHREBERI monographiam SAXIFRAGÆ Sarmentonæ tacuisse, quæ diu publici juris facta est, & plantæ bujus historiam egregie illustrat." Quod a LINNE aliorum observata laudare non intermisserit ex toto Supplemento satis superque constat. Dum vero SCHREBERI monographiam non habuerit,

opu-

opusculum hoc excitare non potuit. Si hoc pro peccato reputari deberet, quæritur, an ne majus sit SCHREBERI, qui fasciculis die Saugthiere inscriptis plurimas citationes oblitus fuerit; vel immortalis Dni. ab HALLER, quem in *Biblioteca Botanica* non meminisse novimus Laur. ROBERGI, Tractatum: Grundvahl till Plant-Kenningens Upsl. 1730. 16mo. cum figuris. Talia LINNEO vitio vertere potest nullus nisi alterri-
ma motus Invidia juxta vetus illud: *male de aliis non cogitat, qui non ipse malus sit.*

Pag. 135. lin. 1. "Deinde cur, in-
quit, Baccharidem Dioscoridis, si, ut mo-
net, perperam ita dicitur hoc nomine in-
signitam relinquat in tot & tantis ex ar-
bitrio factis mutationibus. Cur alia mul-
ta, quæ ipse jam dubia vel falsa propo-
suit ita dedit? ideo certe ut hoc ipso Sup-
plemento Plantarum nomina & cognitio
confundatur, quantum poterat fieri, at-
que hæc confusio in nova, quam medita-
tur, Systematis editione in ordinem redi-
gatur." BACCHARIAM Dioscoridis non




esse plantam a DIOSCORIDE memoratam
jure dixit a LINNE, & nomen reliquit, usque
dum vera DIOSCORIDIS planta innotue-
rit. Nullam igitur aliam ob causam hunc
locum adduxi, quam ut inde videant æqui
judices, quam injurius sit in laudandos Di-
vi a LINNE manes criticus omnis modestiæ
nescius. Scommata numne indicia sunt
singularis Critici in *Supplementi* Editorem
Invidiæ & Criseos nocendi animo suscepæ?
Quæstio hæc non modo morosa est, sed &
responsum maxime injuriosum. Præterea
Lector quisque modo æquas fuerit dubitare
non potest, quin particulare Criticus in Ds.
a LINNE odium ubique monstraverit, quo-
ties h̄orum in Supplementis laudabiles cona-
tus injuriosa crisi perstrinxerit.

"Attamen pergit Criticus pag. ead. l. 9,
"his verbis. Sed aut vehementer fallimur,
"aut metuimus, ne si uno & solo Editoris
"studio opus hoc conficiendum & charac-
"tes ex siccis Plantarum Speciminibus se-
"pe imperfectis formandi erunt, hæc con-
"fusio potius augeatur quam tollatur; E-
"tenim

"tenim aliorum Botanicorum merittissimo-
 "rum observationes in vivis plantis in-
 "stitutæ, iis, quas ex siccis extricuerit
 "LINNEUS repugnabunt, neque igitur
 "contra veritatem LINNEANAS muta-
 "tiones sequi poterunt Botanici. Sed Sy-
 "stematis compositio labor est viribus uni-
 "us viri si vel summi Botanici major, nisi
 "totidem quotannis fere repetitas Syste-
 "tis editiones & mantissas quo LIMNÆ-
 "US Pater dedit, exspectare velis, at ex
 "vivis Plantis noviter detectis summa so-
 "lertia observatis & juxta Botanices le-
 "ges disquisitis colligendi sunt a pluribus
 "characteres, inde que formandum Syste-
 "ma." Quam infausta fuerint scripta col-
 legialiter elaborata monstrant inter alia in-
 scipidæ Neotericorum Farragines, quales
 sunt Historiæ Anglorum universalis, Ency-
 clopædia Gallica & quotquot sint Pharmacopæ-
 æ Collegiorum nostri temporis Medi-
 corum.

Quod si vero in his peccaverint Colle-
 gæ, quid tum exspectandum, si multorum il-



Totis manibus Systema compingetur Animalium vel Plantarum?

Non unus fuit & alter, sed Principes sui semporis Botanici, qui fere omnes Systematis aliquid condere tentarunt, fortuna licet dissimili.

Accidit in his, immortali a LINNE ut Systema ejus vegetabile præ aliis saperet summis in arte viris, & adhuc non minus pro facillimo quam certissimo habeatur.

Affamem non desunt, invidia mox qui inevitabiles Systematis defectus taxant, rodunt incapaces meliora præstandi. Factum hinc est, ut LINNEANA omnia morosus perstringat Criticus. Dubitat num possit Systematicus Svecus in Angulo boreali constitutus australes Plantas aliter ac siccas contemplari.

At nescire videtur, qua industria Botanicorum facile Princeps Flores siccos aquæ callidae vaporibus sciverit naturalem induere faciem.

Nescire quoque videtur quam horrendi emanaverint Errores geniti a Plantis


tis in Hortis male tractatis, quales in Germania præsertim occurruunt.

Transmissæ sunt nostris a LINNE omnium facile Regionum Plantæ, quas suum in Systemate Locum assignare alius non potuit.

Crescente igitur Specie qm numero, si creverint Mantissæ & Supplementa habet Botanicus orbis, de quo gaudeat, non indignatur.

Nescio igitur, qua ratione Criticus LINNEORUM laudatissimam industriam perpetuo increpet?

Pag. 135. recenset Criticus Botanicos Germaniae clarissimos, ut. "Du ROYUM,
"EHRHARTUM, FORSTEROS, GLE-
"DITSCHIUM, HEDWIGIUM, JA-
"QVINUM, KOELREUTERUM, ME-
"DICUM, MURAKUM, SCHREBE-
"RUM & WEBERUM. Horum merita
"quis negat? At dum pergit nonne Hi,
"junctis Anglorum, Danorum, Gallo-
"rum, Italorum, Russorum & Svecorum
"observationibus & consiliis institutis, ite-
"ratis in hortis disquisitionibus Systema
"forma-



"formaturi essent, quod firmius esset isto,
"cujus compelationi unius, qui in Sveco-
"rum angulo mundi non alias novas vedit
"plantas nisi per alios ad eum missas, ope-
"ram et si assiduam dat, Et quod characteri-
"bus a siccis plantis formatis innititur."
Quando pergit nonne &c. dissimulare non
possim, quin Dni. a LINNE, quamvis in an-
gulo orbis siti, certius quam aliis quisque po-
tuerint de novo Genere, novaque Specie ju-
dicare. Etenim omnes adhuc dum nota
planfarum Species ipsis ad manus fuerunt,
unde de novis æquum judicium ferre potue-
runt; neque in his illos errasse constat. Va-
leant igitur Errores borealibus nostris LIN-
NEIS immerito debití; Valeant critici no-
stri in Summos artis Magistros, in Illustris-
simos Dnos. a LINNE injuriosa opprobria;
Faciant meliora, qui possunt, sed illæsos re-
linquant Divos summorum manes virorum,
qui magna præstiterunt.



D. D.

13

DISSERTATIO BOTANICA

DE

MORACEÆ.

QUAM

CONSENSU EXP. FAC. MED. UPSAL.

PRÆSIDE

CAROL. PET.
THUNBERG,

EQUITE AURAT. REG. ORD. DE VASA,

MEDIC. DOCT. PROFESS. MED. ET BOTAN. REG. ET ORD., ACAD. CÆSAR.

NAT. CURIOS. REG. SCIENT. HOLMIENS. SOCIET. SCIENT. UPSAL. PATR.

HOLM. BEROL. NAT. SCRUT. LUND. HARLEM. AMSTELD. ZELAND. NIDROSIENS.

MEDIC. EDIMBURG. ET NAT. STUDIOS. IBID. MEMBRO; NEC NON ACAD.

MONSPELIENS. AGRICULT. PARIS. FLORENTIN. ET BATAVIN. IND.

OR. CORRESPOND.

PUBLICE EXAMINANDAM SISTIT
ZACHARIAS COLLIANDER,

STIPEND. REG. SMOLANDUS.

IN AUDIT. GUST. MAJ. D. VIII. DEC. MDCCCLXXXVII.

H. A. M. S.

UPPSALIÆ,
LITTERIS DIRECTOR. JOHAN. EDMAN.

m. Pourre

